

sus favore prolata sit. L. 19, ad leg. Jul., *De adult.*

(45. Antequam ad res judicatas transeamus, videndum primo, quæ, et quorum iudicium sententiæ rem judicatam faciant. Non enim omnes sententiæ in rem judicatam transeunt, sed « res judicatæ videntur ab his, qui imperium potestatemque habent, vel qui ex auctoritate eorum inter partes dantur, itemque a magistratibus municipalibus usque ad summam, de qua jus dicere possunt, itemque ab his, qui ab imperatore extra ordinem petuntur. » Ita docet Paulus, *Recep. sent.* 5, § 1, et prosequitur ad alias sententiæ, quæ rem judicatam non faciunt ibidem. Ex compromisso autem iudex sumptus rem judicatam non facit, sed si pœna inter eos promissa sit, pœna rei in iudicium deductæ ex stipulatu peti potest. Quidquid illi, quos enumeravimus, definitive pronuntiarunt, potuerint; quæ autem sint personæ, quæ in iudicio stare seu stauerunt, si nullo formæ vitio laboret, rem judicatam facit \*.

(46. Tunc vero demum sententia definitiva regulariter transit in rem judicatam, si post decendium seu infra decem a sua prolatione non appelletur ab ipsa, adeo ut postea retractari non possit, et contradicere volens amplius non audiat. *Communis* textu expresso in *authentic. Hodie*; juncta Glossa, *ibidem*, *cod. De appellat.*, et *cap. Anteriorum* 28, caus. 2, qu. 6, ubi revocato biduo vel triduo antiquitus ad appellandum duntaxat concessio, sic expresse statuitur: « Sancimus omnes appellationes, sive per defensores, vel curatores, et tutores ventilentur, posse intra decem dierum spatium a recitatione sententiæ numerandum, iudicibus, ab his, quorum interest, afferri, » et clarissime in ejus summario: « Infra decem dies remedium appellationis conceditur; » et expresse habetur in *cap. Quod ad consultationem* 15, *De sentent. et re judicata*, ibi: « Cum post decem dierum spatium sententia in auctoritatem rei transeat judicatæ, qui ad provocationis subsidium infra id temporis non recurrit, appellandi sibi aditum denegavit, cum per hoc videatur per interpretationem juris latæ sententiæ paruisse. »

(47. Item sententia definitiva transit in rem judicatam, quando inter decendium ab ea quidem appellatum est; postea tamen appellatio fuit deserta, textu expresso in *authentic. Ei, qui appellat*, *cod. De temporibus et reparationibus appellationum*, ibi: « Ei, qui appellat, impertitur annus, intra quem secundum se, communiterve cum adversario litem exsequatur, aut si justa causa intercesserit, alius annus indulgeatur, quo transactio, lite non completa, rata manet sententia; » ac si non fuisset appellatum, subjungit Glossa, *ib.*, *vers. Manet*.

(48. In aliquibus tamen causis sententia post decendium non transit in rem judicatam, et signanter sententia lata in causis matrimonialibus, quæ revocantur, quancumque constat de errore. *Communis*, textu

expresso in *cap. Lator* 7, *De sententia et re judicata*.

(49. Item sententia non transit in rem judicatam in beneficiis, argumento a simili desumpto ex matrimonio carnali ad spirituale, juxta *cap. Inter corporalia* 2, *De translation. episcop.*, et tenent abbas, in *cap. Cum dilectus*, n. 3, *De election.*; Maranta, part. vi *Speculi aurei*, tit. *De sententia*, num. 150; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 123, et alii. Qui tamen istud intelligunt quod præjudicium superioris, per text. in *cap. Cum Bertoldus* 18, *De sententia et re judicata*. Secus quoad præjudicium ipsarum partium, ut tenet etiam Glossa, in *cap. 1, De concession. præbende*.

(50. Item sententia non transit in rem judicatam in iis causis et casibus in quibus ejus observantia nutrit peccatum de consensu partium non impedibile. Arg. *cap. Cum tanto* 11, *De consuetudine*, et *cap. Quoniam omne* 20, *De præscription.*, cum similibus, et docent Glossa final. in *cap. Inter monasterium*, *De sentent. et re judicata*; Innocent., *ib.*, in fine; Maranta, *loc. cit.*, num. 147; abbas, in *cap. Lator* 7, *De sentent. et re judicat.*, n. 9; Hostiens. et Joannes Andreas, *ib.*, n. 5; Pirrhing, lib. ii *Decret.*, tit. 27, num. 49; Reiffenstuel., *ibid.*, n. 123, et alii passim. V. *Addit. Cas.* in fine.

(51. Res autem judicata proprie sumpta dicitur sententia, quæ post lapsum decem dierum accepit auctoritatem, et vires rei judicatæ; adeo ut pro veritate accipiatur, et postea retractari non possit, et quicumque velit contradicere, non audiat. Unde in l. *Res judicata* 207, *De reg. juris*, sic expresse dicitur: « Res judicata pro veritate accipitur. »

(52. Quandoam vero incipiat currere, et quomodo debeat currere dictum decendium, post quod sententia transit in rem judicatam? Vide verb. APPELLATIO, art. 8, n. 6, 7, 8.

(53. Sententia inter aliquos lata nec præjudicat, nec prodest aliis. *Communis*, textu expresso in l. *Res inter alios judicatæ* 2, *cod. Quibus res judicata non nocet*, ibi: « Res inter alios judicatæ neque emolumentum afferre his, qui in iudicio non interfuerunt, neque præjudicium solent irrogare. » Et concordant l. *Sineque* 1, l. *Juris manifestissimi* 3, l. *Nec in simili* 4, *cod. eod.* l. *Inter alios res gestas* 1, l. *Inter alios factam* 2, l. *Si cum fratre* 3, *cod. Inter alios acta vel judicata aliis non nocere*, l. *Sæpe constitutum est* 63, ff. *De re judicata et de effectu sententiar. et de interlocutionib.*, *cap. Inter delictos* 6, § *In omnibus*, *De fide instrumentor.*, ibi: « Cum ipsa sententia lata fuerit inter alios, et res inter alios acta aliis non præjudicet, » *cap. Cum super* 17, *De sententia et re judicata*, in fine, ibi: « Cum res inter alios acta non noceat regulariter aliis juxta constitutiones canonicas et civiles, *cap. Quamvis* 23, *cod. tit.*, ibi: « Quamvis regulariter aliis non noceat res inter alios judicata. »

(54. In variis tamen causis sententia lata

inter alios potest aliis nocere aut prodesse. Et signanter in causis connexis, ut colligitur clare ex *cap. Tantis Daniel* 3, *dist. 81*, ubi sententia lata contra indigne ordinatum præjudicat ordinanti, ut recte notat Glossa, *ibid.* in fine. Et concordat *cap. Ad petitionem* 22, juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Per consequentiam*, *De accusationib.*, *cap. Hæc quippe* 40, *caus. 3*, qu. 6, juncta Glossa, *ibid.*, verb. *His amotis*.

(55. Item in re individua et pluribus communi; tunc enim victoria unius aliis proderit, ut statuitur in l. *Loci* 4, § 3, ff. *Si servitus vindicetur*, ubi est sermo de servitute itineris, respectu ejus competit actio pluribus in solidum, et concordat *cap. Una sententia* 72, *De appellat.*, ubi sic expresse habetur: « Una sententia pluribus condemnatis, si unus solus ad appellationis beneficium convolaverit, illius victoria jure communi cæteris suffragatur, si communi jure juventur, idemque negotium, et eadem causa defensionis existat. »

(56. Item in duobus casibus assignatis in *cap. Quamvis* 23, *De sententia et re judicata*, ibi: « Quamvis regulariter alii non noceat res inter alios judicata. Ei tamen, cui cum sibi primum de ea re actio vel defensio competeat, sustinuit sequentem agere: at illi etiam, qui passus est eum, a quo causam habuit, experiri, est præjudicium generatum. » Ubi ut vides, statuit Pontifex, quod sententia contra alterum lata noceat etiam ei, qui eum sibi primum de re quamvis actio vel defensio competet, passus fuit litigare sequentem, id est illum, cui secundo loco competeat ejusmodi actio. Et sic etiam de illo, qui passus est alterum agere, a quo causam habuit. Et idem clare statuitur in l. *Sæpe constitutum est* 63, ff. *De re judicata*, in cujus summario Bartolus sic expresse habet: « Sententia lata contra unum non præjudicat alteri, qui eum prohibere non poterat, vel ab eo causam non habebat; secus si poterat prohibere, et ab eo causam habebat, et sciens erat. »

(57. Item sententia lata contra unum nocet alteri, quod is actionem mandavit, vel ratam habuit. *Communis*, et colligitur clare a sensu contrario ex leg. *Si neque* 1, *cod. Quibus res judicata non nocet*, ibi: « Si neque mandasti fratri tuo defensionem rei tuæ, neque quod gestum est, ratum habuisti, præscriptio rei judicatæ tibi non oberit; » ubi, ut vides, a sensu contrario videtur statui, quod tibi obsit, si mandasti, quod gestum est, vel ratum habuisti.

(58. In sententia victus victori in expensis est condemnandus. Leg. *Eum, quem temere* 79, ff. *De judiciis*, leg. *Properandum* 13, § 6, *cod. De judiciis*, Institut. *De pœna temere litigantium*, § 2 in fine, ibi: « Improbus litigator, et damnus, et impensas litis inferre adversario suo cogatur. » *Cap. Finem litibus* 5, *De dolo et contum.*, c. *Contumac.* 4, *De pœnis*.

(59. Et hoc procedit nedum in causis

civilibus, sed etiam in criminalibus. Glossa final. in *cap. Cum dilecti* 6, *De dolo et contumac.*, et abbas, *ibid.*, nu. 17; Gailus, lib. i *Pract. observ.* 152, nu. 1, cum aliis ibi citatis; Reiffenstuel, l. cit., n. 177; card. de Luca, disc. 39, *De judiciis*, n. 7, ubi dicit, quod, reflectio expensarum judicialium est debita tanquam species pœnæ injunctæ temere litigantibus ex dispositione juris, adeoque debet habere locum in omni causa, etiam criminali, ubi talis temeritas litigatoris intervenit.

(60. Non est tamen victus condemnandus in expensis, quando habuit justam causam litigandi; in tali enim casu expensæ compensantur. Leg. *Qui solitum* 78, § 2, *De legatis* 2; Glossa, *ibidem*, verb. *In liti sumptibus*. Inde inferens, quod *justa ignorantia excusat a liti sumptibus*. Idem tradit Glossa in *cap. Finem litibus* 5, *De dolo et contumac.*, verb. *Expensas*; abbas, *ib.*, n. 22; Barbosa, n. 6, et Gailus, cit. observ. 152, n. 3, testans de com.

(61. Quanto autem quis censeatur habere justam causam litigandi? relinquatur arbitrio iudicis, qui ex qualitate facti, et conditione personarum id debet arbitrari. Ita abbas, in cit. c. *Finem*, n. 25 et 26; Barbosa, *ibid.*, n. 7; Menochius, lib. ii *De arbitr. judic.*, caus. 177, n. 2 et seq.; Jason, in cit. l. *Properandum*, § 6, n. 8, c. *De judiciis*; Reiffenst., *loc. cit.*, n. 179, ubi a n. 180, ex Menoch. et Jason affert pro exemplis plures casus, in quibus litigans censeatur habere justam causam litigandi. Unde si succumbat, non est in expensis condemnandus. V. *Addit. Cas.*, in fine h. articuli.

(62. Judex non condemnans victum victori in expensis, quando istæ sive explicitæ, sive implicite, fuerunt petitiæ, tenetur ipsas resarcire de suo, textu expresso in cit. l. *Properandum* 13, § 6, *cod. De judiciis*, ibi: « Omnes iudices, qui sub imperio constituti sunt, sciant victum in expensarum causa victori esse condemnandum quantum pro solitis expensis litium jura verit. Non ignorantes, quod si hoc prætermiserint, ipsi de proprio hujusmodi pœnæ subiacebunt, et reddere eam parti læsæ coarctabuntur. » Leg. *Constitutio* 3, *cod. De fructibus et litiis expensis*, ibi: « Quod si iudex hoc non fecerit, ipse parti victrici damnus illud compensare cogitur. » Et sic tenent doctores commun.

(63. In eadem causa non potest ab eodem tertio appellari a sententia, quæ fuit bis confirmata. Leg. unic. *cod. Ne liceat in una eademque causa rei provocare*, *cap. Sua nobis* 63, *De appellation. juncto ejus summario*, in quo præcise dicitur: « Ab eadem sententia ab eodem tertio appellare non licet. » (64. Et hoc verum est non solum in appellatione a definitiva, sed etiam in appellatione ab interlocutoria. Barbosa, in *cap. cit. Sua nobis* n. 2, cum aliis multis ibi citatis; Scaccia, tract. *De appellat.*, qu. 17, limit. 1, n. 3; Reiffenstuel, lib. ii *Decretal.*, tit. 28, n. 312; Pirrhing, *ibid.*, n. 130, et alii passim. (65. Imo hoc veritica-

tur etiam in sententiis, quæ non transeunt in rem iudicatam. Licet enim in his possit causa de novo inchoari, non potest tamen tertio appellari. Abbas, in cit. cap. *Sua nobis* n. 3; Barbosa, *ib.*, n. 2; Pirrhing, lib. II *Decretal.*, tit. 28, n. 126; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 312, et alii. (66. Et hoc adeo verum est, ut nec Papa, nec alius princeps supremus possit potestate ordinaria per viam rescripti concedere, quod tertio appelletur ab eodem in eadem causa, quamvis possit per viam privilegii, et ex certa scientia hoc princeps supremus concedere. Pirrhing, lib. II *Decretal.*, tit. 28, num. 126; Alexander de Nævo, *ib.*, n. 20; Reiffenstuel, *l. c.*, n. 315; Scaccia, *l. c.*, n. 2; Marchesanus, *De commiss.*, part. II *De Com. super nullit.*, cap. 2; num. 1, fol. 140, et alii.

(67. Potest tamen ab eodem appellari pluries, v. g. centies et millies si centies et millies gravaretur supra diversis articulis, licet in una eademque causa. Cap. *Quoties episcopi* 16, caus. 2, quæst. 6, ubi dicitur, quod quoties episcopi putaverint se gravari a suo metropolitano, possint ad Romanam Sedem appellare. Glossa, in cap. *Directæ* 39, *De appellat.*, verb. *Appellare*; abbas, in cap. *Sua nobis* 65, *De appell.* n. 7; Barbosa, *ib.*, n. 2, cum variis aliis; Scaccia, in tract. *De appell.*, quæst. 17, n. 18 et 40; Pirrhing, lib. II *Decr.*, tit. 28, n. 127, et alii passim.

(68. In eadem causa, et super eodem articulo licet utrique parti colligantium bis appellare successive, et sic in eadem causa, et super eodem articulo possunt utrinque interponi quatuor appellationes. Detur casus, v. g. quod Petrus contra Paulum litigans appellet a sententiâ contra se lata, et succumbat, tunc Petrus potest adhuc secundo appellare, et si in secunda sua appellatione obtineat victoriam causæ, tunc Paulus ejus adversarius poterit etiam ipse appellare, et erit tertia appellatio in eadem causa, et super eodem articulo; et si feratur sententiâ contra ipsum Paulum, poterit adhuc Paulus appellare, et erit quarta appellatio in eadem causa et super eodem articulo, post quam quartam appellationem nec Petro, nec Paulo licebit amplius appellare, cum jam uterque bis appellaverit, et sic victoria causæ remanebit illi, qui in quarta et ultima appellatione sententiâ favorablem obtinendo tres conformes sententiâ in eadem causa, et super eodem articulo reportavit. Arg. Clementin. *Ut calumniis litigantium*, *De sententiâ et re judicata*; abbas, *loc. cit.*, n. 8; Barbosa, *loc. cit.*, n. 2, et alii passim.

(69. Hinc is, contra quem in aliqua causa, sive civili, sive criminali, sive mista, sive in petitorio, sive in possessorio tres sententiâ conformes sunt latæ, admitti non debet ad agendum de nullitate ipsarum, vel alicujus ex illis, vel ad excipiendum antequam hujusmodi sententiâ plene fuerint executioni mandatæ, textu expresso in cit. Clementin. *Ut calumniis litigantium* 1, *De sententiâ et re judicata*, juncta Glossa, *ib.*, verb. *Quavis*; Rota recent., part. IX, tom. II,

decis. 488, n. 21, part. XVII, decis. 86, n. 2; Pirrhing, lib. II, tit. 27, n. 114; Ventriglia, tom. I, adnot. 35, § unic. *De sententiis conformibus*, n. 2, et comm. aliorum.

(70. Et hoc procedit de tribus sententiis conformibus, sive definitivis, sive interlocutoriis. Dicta enim Clementina loquitur simpliciter de tribus sententiis conformibus, non distinguens de definitivis aut interlocutoriis; ubi autem lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. *L. De pretio* 8, ff. *De publiciana in rem actione*, c. *Quia circa* 22, *De privileg.*, ideo debet intelligi tam de interlocutoriis, quam de definitivis. Glossa, in d. Clement. *Ut calumniis*, verb. *Sententiâ*, et abbas, *ibid.*, n. 3; Covarruv., *Pract. quæst.*, c. 25, n. 3, § 5; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 116, et alii passim.

(71. Item dicta Clementina procedit de tribus sententiis conformibus in quavis causa, sive civili, sive criminali, sive mista; id enim clare indicant verba ipsiusmet Clementinæ, *in quavis causa*, ut expresse notat Glossa communiter recepta, *ibid.*, verb. *Quavis*; Covarruvias, *loc. cit.*, n. 115; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 2, et alii passim.

(72. Cum hoc tamen, quod in causis criminalibus tres sententiæ conformes prius exsequi debent, antequam agatur de nullitate sententiarum, solum ubi agitur de pœnis, quæ post executionem retractari adhuc possunt, ac revocari; ut si reus condemnatus sit ad pœnam pecuniariam, tunc equidem debet prius fieri executio dictæ pœnæ pecuniariæ, et postea agi de nullitate sententiarum. Secus autem ubi agitur de pœnis, quæ post executionem retractari ac revocari amplius non possunt. Ut si reus condemnatus sit ad triremes, ad mutilationem vel ad mortem, tunc enim prius agi debet de nullitate sententiarum, quam fiat executio, alias frustra postea ageretur de illa. Sic abbas, in cit.; Clementin., n. 1; Covarruv., *loc. cit.*, n. 3; cum multis aliis ibi relatis; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 115; Franch., decis. 139; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 2; et alii.

(73. Imo, ut tenet abbas, in cit.; Clementin., n. 5; Ricc. ad Franch., dec. 139; cum pluribus aliis ibi citatis; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 2, et alii, hoc procedit etiam in causis civilibus: in ipsis enim, quando executio est irtractabilis, non proceditur ad illam vigore trium conformium sententiarum, antequam agatur de earum nullitate.

(74. Ad hoc, ut tres sententiæ conformes debeant et possint exsequi, non obstante exceptione nullitatis, vel appellatione, debent esse latæ super eodem articulo, et non super diversis; habetur clare ex dicta Clementin. et notat Glossa, *ibid.*, verb. *Tres*, et abbas, n. 2; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 115, vers. *Notandum tertio*; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 3, et alii. Et ratio est, quia si sententiæ essent latæ super diversis articulis, cesseret ratio dispositionis dictæ Clementinæ, quæ est præsumptio calumniæ, in qua illa fundatur.

(75. Potest tamen aliquis tertius pro suo interesse opponere exceptionem nullitatis sententiæ, et impedire executionem trium

sententiarum conformium, dummodo ille tertius nondum bis appellaverit (cum de jure ex dictis supra n. 58, non possit nisi bis et non tertio appellari), sed adhuc appellare possit a sententiâ, quæ illi nocet. Tunc enim poterit ille tertius per exceptionem nullitatis impedire executionem sententiæ. Covarruv., *Pract. qu.*, cap. 25, n. 9; Gabriel, *Commun.*, conclus. 2, tit. *De executione Sentent.*, conclus. 1, n. 10; Pirrhing, *loc. cit.*, num. 116, vers. *Notandum quinto*; Ventriglia, *loc. cit.*, n. 16; Marecot., *Var. resolut.*, lib. I, cap. 86, n. 55, et alii.

(76. Sententiæ illæ dicuntur conformes, quarum una confirmat aliam. Ad hoc tamen non est necesse, quod una confirmet aliam expresse, sed sufficit, quod in substantiâ idem contineant, et non sint difformes quoad substantiam vel qualitatem principalem. Gabriel, *loc. cit.*, n. 33 et 34; Barbosa, in cit. Clementin. *Ut calumniis* n. 11; Pirrhing, *loc. cit.*, vers. *Notandum sexto*, et alii communiter.

(77. Non dicuntur tamen tres sententiæ conformes, si duæ sententiæ sint latæ in principali, et tertia super desertione appellationis propositæ a duabus prædictis sententiis. Unde in hoc casu potest impediri executio per exceptionem nullitatis, et sic non habet locum dispositio dictæ Clementinæ. Sic Rota, in *Antiquis*, decis. 427; Bald., in leg. 2, cod. *De episc. aud. et in leg. Eas*, cod. *De appellat.* in princip.; Oldrad., consil. 106; Felin., in *Rubr. De re judicat.*, col. 8; Roman., singul. 487, et alii.

(78. Executio sententiæ fieri debet regulariter ab illo iudice, qui eam tulit, dummodo is sit iudex ordinarius. Leg. *A divo Pio* 13, in princ., juncta Glossa, verb. *A se*, ff. *De re judicata*, c. *Si quis* 4, juncta Glossa, *ib.*, verb. *Ipsius sollicitudine*, *De foro competente*; Maranta, *De ordin. judic.*, part. VI, tit. *De execut. sentent.* in 3, actu n. 2; Pirrhing, lib. II *Decretal.*, tit. 27, n. 99; Reiffenst., *ib.*, n. 167, et alii passim.

(79. Iudex delegatus Papæ potest sententiâ suam exsequi, et quidem usque ad annum. Cap. *In litteris* 9, cap. *Quærenti* 26, et cap. *Pastoralis* 28, § *Præterea*, *De offic. delegati*. Quam sententiâ exsequi potest sive per se sive per alium, cit. cap. *In litteris*. Imo delegatus Papæ potest executionem suæ sententiæ committere iudici ordinario, qui omnimode tenetur ejus mandato obedire, et ejus sententiâ exsequi. Cap. *Significasti* 6, et cit. cap. *Pastoralis* 28, § *Quia vero*, *De offic. delegat.*

(80. Item delegatus principis supremi potest suam sententiâ exsequi. Leg. *Cum specialis iudex* 18, cod. *De judiciis*; Menoch., lib. I *De arbitr. judic.*, q. 74, n. 48, cum aliis ibi citatis; Pirrhing, *l. cit.*, n. 99, testans de communi.

(81. Delegatus ab inferiori magistratu, ut ab episcopo, seu ab alio, quam a principe supremo, probabilius non potest exsequi suam sententiâ, sed debet executionem deleganti remittere. Leg. *A divo Pio* 13, § 1, ff. *De re judicata*, ibi: « Judicium a se

datorum vel arbitrorum sententiâ exsequantur ii, qui eos dederunt: » ac tradit Bartolas, *ibidem*, cum aliis. Et idem colligitur, ex cap. *Si quis contra* 4, *De foro competente*, ubi episcopus, qui ut suspectus legitime recusatur, potest dare delegatum partibus non suspectum, cujus sententiâ ipse exsequatur. Sic tenet etiam Menoch., *loc. cit.*, n. 52; Maranta, *loc. cit.*, n. 4; Reiffenstuel., *loc. cit.*, n. 170, testans de communi; Pirrhing, *l. c.*, n. 99, dicens, id communiter teneri, quia lata sententiâ a delegato ab alio, quam a principe supremo, statim omne ejus officium exspirat. *L. Iudex* 3, ff. *De re judicata*, adeoque non potest ipse exsequi suam sententiâ, sed debet ejus executionem remittere ad delegantem.

(82. Contrarium tamen docet Glossa, in cit. cap. *Si quis contra* 4, *De foro competente*, verb. *Ipsius sollicitudine*, et *ibid.*, abbas, n. 32; Imola, n. 2, quia inquit Glossa a supradictis secuta, eo ipso, quod iudici delegato causa committitur, intelliguntur ei omnia illa commissa esse, quæ ad causam ipsam spectant, et sine quibus causa ipsa expediri non potest, ut cap. *Præterea* 5, et cap. *Suspicionis* 39, *De offic. delegat.* Et, *ibid.*, Glossa respondet ad textum num. præcedenti allegatos, quia dicit, quamvis in ipsis dicatur, quod ordinarius exsequitur sententiâ a delegato latam, non tamen ibi prohibetur quominus etiam id possit delegatus, saltem si absens sit iudex ordinarius.

(83. Post latam a iudice sententiâ definitivam, non est statim ipsa executioni mandanda in actionibus et causis civilibus, sed in actionibus realibus expectandum est saltem per decem dies, priusquam executio fiat, et in actionibus, et debitis personalibus expectandum est per quadrimestre, quod condemnato ad solvendum conceditur. Cap. *Quoad ad consultationem* 13, *De sentent. et re judicata*, l. *Eos*, qui 1, et l. *Sancimus* 3, cod. *De usuris rei judicatæ*. Et quidem quod in actionibus realibus expectandum sit saltem per decem dies, clare patet; quia ante elapsum decendium sententiâ nec dum transit in rem iudicatam, imo ab eadem potest adhuc condemnatus appellare. Authent. *Hodie*, cod. *De appellat.*, cap. *Anteriores* 28, caus. 2, q. 6, c. *Quod ad consultationem* 13, *De sentent. et re judicata*, adeoque ante elapsum decendium non potest fieri executio sententiæ in actionibus realibus. Quod autem in actionibus et debitis personalibus expectandum sit per quadrimestre, ratio est, quia alteri obligatus actione personali non detinet rem alterius, prout contingit in obligato alteri actione seu debito reali. Unde jure merito pro executione sententiæ in actionibus et debitis personalibus jura concesserunt quadrimestre ad solvendum. Cit. l. *Eos*, qui 2, et l. *Sancimus* 3, cod. *De usuris rei judicatæ*, c. *Quod ad consultationem* 13, *De sent. et re judicata*, c. *Quærenti*, 26, juncta Glossa, verb. *Quadrimestre*, *De offic. delegati*. Sic Pirrhing, *loc. cit.*, num. 100; Reiffenst., *loc.*